



**Ivlii Cæsarisi|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||**

**Scaliger, Julius Caesar**

**Lugduni Batavorum, 1600**

Ad Petrvm Bergivm Præfatio amici nomine. XIX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](#)

gulari, vt alterum me, eo charius quod  
versatur in hisce studiis philosophicis &  
cum iudicio, nec sine industria. Tibi velim  
tua merita erga me crebro in mentem ve-  
niant, quæ cum ipse possis, mihi nefas sit  
silentio obruere, iudicabis mihi curam affi-  
duam iniectam cauendi, ne quid de am-  
plissima mea erga te benevolentia diniuntu-  
rum esse videatur. Valc.

## AD PETRVM BERGIVM

*Præfatio amici nomine. xix.*

**O**MNIVM gentium populorumq. non  
solū consensu comparatum, sed etiam  
iudicio probatum videtur esse, P. Bergi, vt  
quibus primordiis res humana cōstituta es-  
set, eorum semina ad cōmunitatis vitæ veram  
frugem referrentur. Quæ natura cum sese  
in priscas illas mentes induisset, in earum  
officiis scipsa duce clarius illuxit. Quæ  
enim aut communi voluntate, quos appella-  
lant mores, recepta: aut maturius prudētia,  
quas vocamus leges, cōcepta essent, ea om-  
nia ab uno fonte naturæ deriuata, sibi re-  
spondentia ac consentanea sunt adeo, vt si  
quid noui statui videatur, aut sit vetus om-  
ne, aut veteris interpretatio sapientiæ. Quo  
mibi & Imperium probetur Iustiniani, qui  
vetuerit

vetuerit in immensum vehi, quod reiceret  
certis limitibus contineretur: & non im-  
probetur consilium, quo maiorum nostro-  
rū decreta, Rescripta, Responsa eadē natu-  
ra duce statis certisq. rationibus tempera-  
mus. Nam quemadmodum illi naturæ iura  
literis rationibusque certis sunt interpreta-  
ti, ita nos illorum scripta non minore nego-  
tio explicamus. Illi statuere quod volebant,  
nos quod vellent expiscari. Nam quotus  
quisq. nostrū audeat emēdare antiquorum  
placita etiamsi cui falsa aut iniqua videan-  
tur? Quam igitur laudē sunt illi bene sen-  
tiendo consequuti, eandem nos etiam vero  
maiorem fortasse mercamur, cuius non so-  
lum Interpretes, sed etiam Iudices sumus.  
Verum equidem, P. Bergi, de me nihil, de  
te omnia quæ nunc profiteri audeo super  
ætate nostra, de te vno sentio.

\* \* \*

Age vero vel veteres Heroes vel recen-  
tes viri comparentur. Illorum memoriam  
viam tenemus ob egregias virtutes, sed  
præteriorum. hoc enim facit mors, ut inter  
cetera commoda, quæ ab ipsa bonis com-  
parantur, non solum absoluti sint a noxiis,  
quibus tum \*\*\* sed etiam perpetuo in no-  
bis viuant. Multos tenuiori fortunæ detri-  
uit,

uit, multos secundiori elatos oppressit inuidia. Sed neq. illa te contemptum vñquā habuit. non enim nouit te, aut tu illā. Luculēter autē non solum conspectiorē offert, sed etiā gratiorē. Hoc est vti rebus præsentibus, possidere præteritas, occupare futuras. Hoc est tibi vixisse sapienter, vt exemplo tuo viuamus aliis vtiliter. Magnitudinē tuam neque capere tu, neque te illa queat. Sed nos quoq. sapientiæ tuæ sumus pars, quæ tamen tibi nulla decessit. Diuina profecto res, quæ excipitur, neq. perit: deciditur, neq. minuitur: exercetur, neq. fathiscit. Evidet, Bergi, scio alios tibi dicasse sua, scio mihi proponi alios, quibus nostra dicare possim. Verum quod illi fecere sapienter, vt augustiores facrēt labores suos, id mihi non fuisse committendū puto, si sequutus essem meliora. Sed neq. tu hæc inter illa aspernari ob copiam debeas, qui veræ copiæ etiam actor es, & dominus, neq. illi nos apud te contemnere qui agamus quod instituere.

*Reliqua desiderantur.*

IACOBVS OMPHALIVS  
SCALIGERO XX.

**E**t antea iucundissimā ex ea, quæ tecum mihi, cum studio meo, tum iudicio tuo,  
atque